

Franckesche Stiftungen zu Halle

Dissertatio Inavgvralis Philosophica De Harmoniae Praestabilitae Vera Notione, Inventore Et Pretio

Stiebritz, Johann Friedrich
Halae Magdebvrgicae, 1768

VD18 90806336

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-194474



§. I.

Præter multa, eaque præclara, quæ per experientiam nobis innotescunt, et hoc cognitum habemus, quod præter corpus, ex materia constans, anima existat, ab illo toto coelo, ut aiunt, diuersa; quæ tamen in *arctissimo* cum corpore versatur *commercio*, ita nimirum, ut illa omnes corporis mutationes, a rebus externis inductas, sine interposita mora sibi repræsentet; et corpus quam maxime conformes volitionibus animæ motus edat. Quum vero entium, natura sua tam diuersorum, coniunctio non sine admiratione obseruari queat; philosophi, quorum quippe est rerum causas inuestigare, modum exponere studuerunt, quo anima cum corpore ita vnita sit, ut alterum alteri exacte respondeat. Prouti vero negotium ipsum arduum est, atque insuper hominum ingenia valde variant; ita nemo mirabitur, quod in varias sententias, quas *Systemata* vocare solemus, huius rei indagatores abierint. Longe enim plurimi cum *Aristotele ad influxum* animæ et corporis in se invicem *physicum* sunt delapsi, qui ea de re *influxionistarum* nomine insigniuntur. Alii vero, *Cartesum* secuti, arbitrantur, Deum ipsum, desumpta a mutatione corpori illata occasione,

sensatio-

ensationum in mente auctorem esse, dum ipsius vim isto potius, quam alio modo determinaret; quemadmodum ad praesentiam cuiuscunque volitionis, in anima conceptae, vim motricem corporis dirigeret, ad motus ei respondentes excitandos. Venit haec commercium inter animam et corpus exponendi ratio *occasionalismi* nomine, et qui eam tuentur, *occasionalistae* audiunt. Nouam vero, ab utroque systemate diuersam, *Perillustri Leibnitio* ingressus est viam, negatoque tum causae finitae tum infinitae influxu *reali*, surrogatoque in eius locum *ideali*, sensationes ab animae ipsius vi, et motus corporis voluntarios ab eius structura mechanica repetiit; atque sic systema *Harmoniae praestabilitae* eruditis persuadere est conatus.

§. II.

Absit a nobis quam longissime, ut cuncta, quae in hypothesibus illis obseruanda veniunt, iam enarremus; vnice potius circa penitiorē *harmoniae praestabilitae* considerationem versabimur. Neque etiam hic omnia adducemus, quae de hac vel dicta sunt, vel dici possunt; sed pauca tantum pro instituti nostri ratione commemorabimus. Occupabitur nimirum qualiscunque nostra tractatio I) in exponenda genuina harmoniae praestabilitae mente; II) in indagando primo eius auctore; III) in determinando eius pretio; et IV) in proponendo systemate quodam, a prioribus diuerso, quo fortassis grauissimae tolli possunt difficultates.

§. III.

Ut igitur *primo* genuinam Harmoniae praestabilitae mentem eruamus, in antecessum notari meretur, in quocunque systemate, quod ad explicandum animae et corporis commercium spectat, omnem rem ad duas quaestiones redire: I) quomodo in anima, mutationibus corpori ab eandem externis inuectis, et ad cerebrum usque propagatis, nullo temporis intervallo intercedente, admodum conformes oriantur sensationes? II) Quomodo contingat, ut, anima ad volitionem quam-

quandam progressa, illico conuenientes motus in cerebro, et hinc in externis corporis membris producantur? Vnde iam sponte sua sequitur, vt, quae *Leibnitii* cogitata quoad verumque sint, paullo distinctius edifferere teneamur. Quod igitur *Vir illustris generatim* omnem mutationem corporis et animae harmonicam ex vtriusque propria virtute deducat, jam percepimus §. I. Veniendum ergo nunc est ad *specialiora*. Voluit scilicet, si *Leibnitium* audire volueris, Deus, vt cuilibet corpori humano insit anima, quae cunctas sibi mutationes, quas a rebus externis patitur corpus, eodem ordine ac tempore repraesentet, quo illae a corpore recipiuntur. Eam vero ob causam ex infinito animarum possibilem numero illam cum aliquo corpore coniungere decreuit, et iusto quoque tempore reuera coniunxit, quae tanquam substantia, vi repraesentatiua huius vniuersi praedita, propositu et conditione corporis, ex suo ipsius fundo, quem alii *abyssum* vocant, eas evolueret sensationes, quae ad quemcunque corporis statum, quocunque temporis articulo pertinerent. Hinc ipsa anima, *Leibnitio* iudice, in sensationibus agit; et corpus nonnisi *idealiter* in eam influit, quia eatenus tantum continet rationem sensationum, quatenus pro sua conditione et situ, hoc et non alio momento, sic et non aliter comparatae, ex animae vi prodeunt. Quod vero ad alteram quaestionem, supra propositam, attinet, eam sequentem in modum soluit *Leibnitius*. Anima, ait, suarum sensationum conscia, post varios imaginationis et memoriae actus, quibus praesentia cum praeteritis conferuntur, et post varia inde formata motiua, tandem deuenit ad volitiones, per corpus exequendas. Vt igitur anima votorum suorum compos fieret, Deus, utpote qui omnes eius volitiones ab aeterno praecidit, ex innumerabili corporum possibilem multitudine, illud cum ea consociauit, quod illas executioni daret, et motibus, quos voluntarios dicimus, exprimeret; quos cum ex sola structura corporis mechanica, a Deo prouide condita, deriuat *Leibnitius*; eorum genesis paullo curatius describemus. Sicuti scilicet cum sensatione, tanquam idea immateriali, coexistit in cerebro subtilissi-

mus

mus motus, seu idea materialis, ab obiecto externo impressa: ita excitatis posthac in anima imaginationis et memoriae actibus non minus in cerebro respondent ideae materiales, quae quippe cerebro iam impressae fuerunt, cum imaginationis actus olim essent sensationes, iam vero reproducentur: et quemadmodum ex collatis sensationibus et imaginationis actionibus resultant motiva, et tandem volitio; ita in cerebro quoque ex unitis invicem ideis materialibus, quae praeteritis et praesentibus respondent, prodeunt motus, cum motibus et volitionibus animae connexi, et cerebri spiritus animales, sic semel excitati atque in motu constituti, influunt in membra corporis exteriora, volitionibus exsequendis accommodata. Compararet itaque, iuxta mentem *Leibnitii* corpus tanquam machina, supra quam dici potest admirabiliter a Deo confecta, quae motus voluntarios, animae deceritis ex assensu convenientes, propria efficit vi; atque in hoc consistit influxus *Leibnitii* animae in corpus idealis.

§. IV.

Ex haecenus dictis absque difficultate colligi potest, quare *Leibnitius* systema suum *Harmoniam praestabilitam* vocaverit. Etenim cum singulis animae volitionibus iusto ordine et tempore coexistant motus voluntarii corporis, iisque maxime conformes; nec minus cum singulis corporis mutationibus similes statim oriantur animae sensationes: inter animam et corpus dari *harmoniam*, nemo unquam inficiabitur. Quoniam vero Deus, utpote iam ab aeterno mutationes, corpori suo tempore ab entibus externis imprimendas, et volitiones, animae, iusto ordine se excepturas, praevidens, stabilivit, ut illi anima, quae quoscunque corporis status; huic vero corpus, animae volita efficiens, adsit: hinc in propatulo est, dictam harmoniam recte etiam vocari *praestabilitam*. Risum itaque lectoribus movit *Ioh. Andr. Waltherus*, Portensis scholae quondam inspector, et harmoniae praestabilitae praeterea acerrimus aduersarius, qui sibi persuadere potuit, quod harmonia praestabilita idem valeat, ac *harmonia praestabilis*. Videri de lepida

lepida hac explicatione possunt celeb. *Ludouici Neueste Merkwuerdigkeiten der Leibnitz-Wolfschen Philosophie*, sub finem.

§. V.

Quisquis a nobis dicta recte aestimauerit, facillimo perspicere potest negotio, satis notabilem intercedere differentiam inter harmoniam praestabilitam ac reliqua systemata superius commemorata. Interim nihilo minus fuerunt nonnulli, qui harmoniam praestabilitam vel ad *influxum physicum*, vel ad *Occasionalismum* quam proxime accedere, et sub diuersis vocabulis vnā eandemque rem latere, magna cum ostentatione asseruerunt. Certe *Ruedigerus In der Gegenmeinung vom Wesen der Seele* pag. 67. *Influxum physicum* atque Harmoniam praestabilitam inter se non differre, probaturus, prouocat ad *salutarem*, vt vocare eam amat, *clausulam*, a *Leibnitio* *Wolfsque* adhibitam, qua, *animam sensibus s. organis corporis sensoriis, se accommodare*, conceditur. Sed quotusquisque est, qui non primo statim intuitu intelligat, *accommodare se ad aliquid*, et *influxum realem ab altero pati*, quam maxime differre? Anima omnino agit, quod suum est, sua ipsius vi; ageretque eadem, liceat *Wolfsiana* phrasi vt, quamuis corpus longissime ab ea abesset. Hoc vero non obstante, ex praestabilitatione diuina, eas, non alias, profert sensationes, quae cum introductis mutationibus corporis, quod anima iam suum nominat, consentiunt. Ad eundem modum corpus suos producit motus propria virtute, licet cum volitionibus conspirent, et secundum-has, immo propter has, determinentur. Vtrumque igitur ens non realiter, sed tantum idealiter, patitur; quia cuilibet series mutationum, propria vi peracta, competit. *Accommodatio* itaque animae ad suum corpus, eiusque positum et conditionem, est ipsius animae determinatio, mutationibus in corpore comparentibus conformis; prouti etiam corporis motus, ad animae volitiones accommodati, nonnisi ipsius corporis actiones sunt. In vtroque igitur casu nulla realis adest passio, qualem influxus physicus postulat; sed mera actio vtriusque. Pone,

B

vt rem

ut rem exemplis declaremus, horologium tuum cum urbeo per tempus bene longum conspirare; vel feruum tuum se accommodare tuis, quos edis, nutibus: num ideo vnum in alterum influit physice?

§. VI.

Quod vero ad illos attinet, qui harmoniam praestabilitam cum *Occasionalismo* coincidere arguantur, hi suae sententiae fundamentum in eo ponunt, quod in utroque systemate totum negotium ab *omnipotente Dei voluntate* pendeat, et harmonia praestabilita, perinde ac occasionalismus, nonnisi miracula secum ferat. Sed haec vanissima sunt, sine penitioris utriusque sententiae cognitione dicta. Cum enim miraculum effectus sit, qui in rerum essentiis et naturis rationem non habet, et per leges entibus praescriptas explicari nequit: recte quidem asseritur, occasionalismum, quia sensationes animae et motus corporis voluntarios ab immediata Dei directione reperit, mera miracula secum ferre; sed longe alia res est in harmonia praestabilita, ubi sensationes immediate ex ipsa animae vi, corporisque motus, animae volenti conformes, ex structura eius mechanica derivantur, et utriusque legibus convenienter explicantur, ita ut immediatae Dei operationi nullus plane locus sit. Si vero opinaris, ipsam *praestabilitationis* vocem, *Leibnitio* valde familiarem, satis prodere, omnia hic redundare in merum Dei beneplacitum: tum respondemus, praestabilitationem, quam allegas, nullam aliam involuere sententiam, quam quod Deus animae et corporis actiones praeuiderit, praeuisa creare decreuerit, decretum in actum deduxerit, cuilibet vim agendi donauerit, harmoniae primum initium constituerit, deinde vero vnumquodque sibi, ut pro vi indita ageret, reliquerit. Anima itaque sensationum suarum ipsa est causa efficiens immediata; et corpus motus suos proprio efficit mechanismo, nec Deus iam immediate in hanc machinam operatur. Quemadmodum igitur inter se differunt duo horologia, quae singulis momentis secundum immediatam artificis operationem motus suos harmonicos edunt, ab iis, quae artifex vno actu immediato ita instruit, ut per

ut per

ut per subsequētia tempora, vnumquodquodque, quod suum est, cum altero concorditer agat: ita etiam harmonia praestabilita differt ab occasionalismo; hic enim meras habes operationes Dei immediatas, ibi vero prima tantum horum entium harmonica constitutio ad immediatas Dei operationes reuocari debet, sicuti prima totius mundi et ordinis naturae constitutio Deo immediate agenti tribuenda est.

§. VII.

Non tamen coeco quodam casu *Leibnitius* in harmoniam praestabilitam incidit; sed ad philosophemata, sua aetate in medium prolata, attentus, multaque meditatione usus, tandem in eam deuenit. *Remotio*rem, de commercio inter mentem et corpus perspicue explicando, cogitandi occasionem systema *Cartesianum*, multos tunc temporis patronos nactum, pro vnice vero habitum, atque effusissimis laudibus condecoratum, ei praebuit. Pro singulari enim, qua florebat, perspicacia, facile, cum illud paullo accuratius perpenderet, intelligebat, illud admitti non posse, partim quod perpetuis miraculis grauidum esset, partim quod eidem cum lege naturae, de eadem conseruanda directione, neuiquam conueniret. Omnes itaque ingenii neruos intendit, ut tandem aliquando eiusmodi systema cum orbe erudito communicaret, quo quam maxime naturali modo, evitatis influxus physici et occasionalismi difficultatibus, mentis corporisque actiones, sibi invicem respondentes, explicari possent. *Propiorem* vero ansam nouum systema excogitandi ex immaturo *Baelii* placito desumpsit, quo, manichaeismum rationi maxime probabilem esse, operose et aeque infeliciter disputauerat. Quum enim mala in mundo obuia, cum bonis, in eo deprehensis, aperto Marte pugnare profiteretur; contradictoria vero ab vnico ente supremo, eoque sanctissimo, et nonnisi optima volente, proficisci non posse perspicere sibi videretur: igitur omnem hanc rem quam felicissime expediri posse censuit, si duo principia, sibi invicem ex omni parte opposita, alterum bonum, alterum malum, assumerentur. Quam infaustam opinionem repul-

furus *Leibnitius*, acutissime peruidit, Deum Optimum maximum mala in mundo, per abysum libertatis creaturarum orta, quatenus ad ideam huius mundi pertinerent, partim sapientissime permittere, ne bona, malis intermixta, omittantur; partim ad optimos quosque fines dirigere, ut tandem spectabilis omnium rerum nexus, et iucundissima ubique harmonia, conspiciatur. Quo ipso palam fecit *Vir Excellentissimus*, pluribus rerum mundanarum auctoribus opus non esse; sed unicum nobis sufficere artificem, qui quascunque res creatas in optimum nexum et suauissimam harmoniam redegit, et praeterea, ne mala eam omnino interuertant, satis cauit. Ut vero hanc harmoniam eo magis intelligibilem redderet summus *Leibnitius*, totum mundum, et spirituale et corporeum, monadibus constare docuit, quibus vis repraesentatiua huius vniuersi, gradibus tamen diuersa, competeret, quae, ut ut valde dissimiles, amicissime nihilo secius ita inter se conspirarent, ut ex statu vnius status alterius nunquam non possit cognosci. Quae cum ita sint, statuit harmoniam, inter se omnium, spirituum inter se omnium, nec minus corporum et spirituum sibi inuicem respondentium, naturae adeo vniuersae, immo et naturae atque gratiae diuinæ conspirationem; qua de re vid: *Leibnitii* Theod. §. 62 et *Bülfingeri* Commentat. de H. P. §. 7-11. Cum igitur vniuersalem quandam harmoniam *Vir illustris* mente concepisset; mirum non erat, prouti ipse *Theodicaeae* l. c. observat, ipsum etiam in harmoniam animae et corporis praestabilitam, quam supra descripsimus, incidisse. Idque eo magis, quia monades, quales animas et prima corporum elementa esse docet, omnes suas mutationes ex vi sibi concessa sponte sua evolvere adseruit.

§. VIII.

Sed satis de primo tractationis nostrae momento! Progredimur ad secundum, quod de inuentore harmoniae praestabilitae exponet (§. 2.). Etsi longe plurimi, Harmoniam praestabilitam ab *Illustri Leibnitio* inuentam esse, crediderint; exstiterunt tamen nonnulli, quibus aliter visum fuit. Qui enim olim in eo toti erant, ut harmoniae

nae

niae praest. omnem, quam poterant, invidiam conflarent, inter alia eiusdem foeditatem ex eo demonstrare conabantur, quod ex turbidis *Spinozae*, hominis athei, lacunis hausta sit, et adeo spinosistica quaedam hypothesis jure vocari mereatur. Sit mihi instar omnium b. *Langius*, *Leibnitio-Wolfianismi* acerrimus insectator, qui hanc infimulationem aliquoties protulit. Legis eam in sic dicta *modesta disquisitione novi Philosophiae systematis*, pag. 102. et fusissime 137-144. nec non *In der Ausfuhrlichen Entdeckung* pag. 167. 173. 199 sqq. 205. Cum vero Illustris *Wolffius* facile animaduerneret, quantum valere possit ista accusatio apud eos, qui ad odiosa nomina, quale *Spinozae* est, cohorrescere solent; hinc eam destructum ivit in *Comment. Insuper de differentia nexus rerum sapientis et fatalis necessitatis* pag. 61. sqq. Interim non adeo mirum videtur, praecipuum totius Philosophiae *Leibnitio-Wolfianae* aduersarium harmoniam praest. tanquam propudiosum *Spinozae* foetum traduxisse; illud vero magis mirum est, quod certissimus eiusdem amicus et defensor, acutissimus *Mendelsonus*, vir eleganti pariter ac solida doctrina instructus, *In den Philosophischen Gesprächen*, quae Berolini 1755 prodierunt, Colloq. 1. 2. eandem tibiam inflauerit, et harmoniae praestabilitae primum inventorem *Spinozam* esse adhuc pronunciauerit. Operae itaque pretium esse censemus, istam rem, seposito omni partium studio, denuo sub examen vocare, ut dilucide adpareat, possitne H. P. a *Spinoza* derivari, an minus. Plures ex *Athei Ethica geometricè demonstrata* locos transferipsit *Langius*, quibus accusationem suam probare studuit; quorum plerique vero adeo a praesenti negotio alieni sunt, ut operam perderemus, eos excitaturi. Interim maiori cum specie uterque se refert ad libr. cit. P. III. prop. 2. 3. coll. P. II. prop. 7. quas, lectori aequo iudicandi copiam facturi, hic exstare volumus: *Nec corpus*, *Spinoza* inquit P. III. prop. 2. pag. 97. sqq, *mentem ad cogitandum, nec mens corpus ad motum, neque ad quietem, nec ad aliquid, si quid est, aliud determinare potest*; et pag. 100 sq. *mentis actiones ex solis ideis adaequatis oriuntur; passiones autem a solis inadequatis pendent*. Denique P. II.

prop. 7. pag. 45 haec leguntur: *ordo et connexio idearum idem est, ac ordo et connexio rerum.*

§. IX.

Equidem non nego, *Spinozae* placita primo intuitu consentire videri cum iis, quibus harmoniae praestabilitae assertores vti consueverunt; interim tamen quam maxime falleretur, qui unam eandemque sententiam illis tribuere veller, aut sibi in mentem venire pateretur, *Spinozam* eam ipsam harmoniam professum esse, quam animo concepit *Leibnitius*. Quotus enim quisque est, dum historiae philosophicae paullo peritior fuerit, qui nesciat, non valide satis concludi posse a convenientia verborum, pluribus familiarium, ad convenientiam sententiarum: possunt sane verbis convenire inter se philosophi, qui sententiis longissime a se invicem dissident. Ista si valeret argumentatio, tum vel innocentissimis dogmatibus, in sacris litteris obviis, spurcissimam maculam adspargere posses. Possemus hoc ipsum, per exempla eundo, facile probare; si quidem, iis in re satis manifesta opus esse arbitraremur. Praeterea vero saepenumero etiam fieri solet, ut duo pluresue in conclusione quadam conspirent, qui nihilominus, si principia spectes, toto coelo a se discrepant: unde magnopere falleretur is, qui ex conclusionum consensu statim systematum consensum adfirmaret, vel alterum ab altero sua accepisse opinaretur; cum sole clarius pateat, singulos, non communicatis inter se consiliis, ad ductum principiorum sibi privorum, siue verorum, siue spuriorum, sua sponte ad aliquam conclusionem peruenire posse.

Atque hoc ipsum est, quod quam felicissime ad *Leibnitium*, ab omni plagii crimine absolendum, facit. Fateor, utrumque docuisse, corpus nequaquam mentem ad cogitandum, nec mentem corpus ad motum aut quietem determinare: at enim vero hanc ipsam conclusionem *Leibnitius* ex principiis plane aliis elicuit, quam quae *Spinoza* eidem supposuit. Idque ipsum in causa est, cur asseramus, hunc ne per somnium quidem de harmonia illa, inter animam et corpus stabilita, quam

quam *Leibnitius*, maximo ingenio suffultus, eruditus persuasum ivit, cogitasse. Quod si vero aliquis, omnibus his nondum contentus, plagii crimen impingere vellet *Leibnitio*, propterea quod *Spinoza* istam propositionem prius litteris consignaverit, negarique non possit, illum huius scripta legisse: tum risum mouet, et cachinno prosequendus est, quia ante *Spinozam* *Cartesius*, atque ante *Cartesium* *Plato*, eandem suis tradiderunt. Non itaque erit, te ipso iudice, *Spinoza*, sed *Cartesius*, immo ipse diuinus *Plato*, harmoniae praestabilitae auctor et inuentor; et potiori saltim iure *Leibnitius* his sua surripuisse existimabitur.

§. X.

Vt vero ad oculum pateat, *Spinozam* harmoniae praestabilitae systema prorsus ignorasse; operae pretium esse existimamus, utriusque placita paucissimis inter se conferre. Nimirum *Leibnitius* harmoniam stabiliturus, versatur I) circa entia, extra Deum posita, a Deo quidem creata, sed tamen diuersissima, quem existitarum esse profitetur, quamvis illa numquam prodissent. Illa entia, II) *animas* et *corpora* vocat, quae minime omnium pro substantiae alicuius modificationibus habet; sed *animas* potius veras substantias, a Deo immediate liberrimo voluntatis actu productas, monades derivativas, easque vigilantes; *corpora* autem substantiarum aggregata esse, dicit. Tot ergo *Leibnitius* admittit praeter Deum substantias, quot statuit humanas et brutales *animas*; et praeterea, si *corpora* respexeris, substantias concedit pene infinitas. Porro III) *animas* et *corpora*, sua natura omnimode differre adfirmat, ut anima, ceu simplex, numquam corpus, et corpus, ceu compositum, numquam anima, nec unum idemque corpus et anima simul esse possit. Haec tamen IV) quamvis natura sua ad se invicem non pertineant, et per se ad ineundam quamdam unionem non determinentur; *Leibnitius* tamen docet, Deum, ens a se subsistens, mundi totius conditorem, duce ineffabili sapientia, per illimitatam, qua floret, potentiam, comite summa bonitate, effecisse, ut anima quaedam cum aliquo corpore coniungatur, quae eodem tempore re-

praesen-

praesenter mutationes, huic ab entibus externis superuenientes; et vicissim corpus aliquod cum anima quadam confocietur, quod harmonice tot motus voluntarios ederet, quod volitiones efficaces in anima orirentur. Et haec quidem *Leibnitius*!

§. XI.

Sed audiamus etiam *Spinozae* adserta! Ille vero 1) nulla admittit entia, extra Deum existentia, quae quippe ne cogitari quidem posse statuit; cuncta potius, quae existunt, ex ipsius mente ad Deum, tanquam unicam et solam substantiam, pertinent: Ideoque II) illud, quod cogitat, et id, quod extensum est, non distinctas substantias, extra Deum et extra se positas, esse arbitrat; sed pro vnius eiusdemque substantiae, quam Dei nomine insignit, praedicatis atque attributis venditat. Nihil itaque ipsi commune est cum illis, qui substantias plures, vel substantiarum aggregata defendunt; neque discrimen agnoscit, quod *Leibnitius* substantias inter creatas et non creatam rectissime fixit. Hanc ob causam III) ipsi ridicula sunt, quae *Leibnitius* de naturarum in mentibus et corporibus diuersitate, quae obstat, quominus in vna substantia eae morari possint, profert. Ex *Spinozae* potius sententia mens et corpus vnā plane faciunt rem, seu vnum constituunt indiuiduum, quod modo sub cogitationis, modo sub extensionis attributo concipiendum sit. Ex his vero oppido claret IV) ipsi numquam in mentem venisse, quod harmonia quaedam inter diuersarum substantiarum naturas, extra Deum stabilita detur. Si ergo vel maxime evinci posset, *Spinozae* harmoniam quandam inter cogitationem et extensionem, earumque modificationes, placuisse: tum tamen ea ipsa tam longe distaret a *Leibnitiana*, quam terra a coelo. Etenim *Spinozae* harmonia 1) concipienda foret in ipso Deo; *Leibnitii* vero extra Deum: 2) illa foret attributorum et modificationum ipsius Dei; haec vero substantiarum extra Deum, et a se invicem disiunctissimarum: 3) illa esset sine auctore, seu efficiente causa externa; haec cum auctore et causa efficiente: 4) illa diceretur necessaria, independens,

dens, immutabilis et indissolubilis; *haec* vero contingens, dependens, mutabilis et dissolubilis. Porro 5) *illa* foret sine scientia, sapientia, potentia, bonitate et libera voluntate; *haec* vero cum demonstratione profundissimae scientiae, admirabilis sapientiae, illimitatae potentiae, maximae bonitatis, et liberrimae voluntatis. Qui igitur inter *Spinozae* deliramenta et *Leibnitii* philosophemata similitudinem aliquam reperisse, atque *hunc* ex *illo* hausisse, sibi persuadere potest; nae! is dissimillima quaecunque pro simillimis venditare potest. Poterant, ut vnicum adhuc addamus, a nobis dissentientes ex ipso *praestabilitio- nis* vocabulo, a *Leibnitio* adhibito, rectiora percipere. Eo ipso enim innuit *Vir illustris*, Deum, a mundo corporeo et spiritali plane diuersum, pro intellectus infinitudine, ab aeterno sibi animas et corpora, ceu mere possibilia, harmonice, si existentia donarentur, actura, repraesentasse, et quia mundi, olim producendi, ideae respondebant, iam *antequam existerent*, *stabiluisse*, ut in tempore producta quam coniunctissime viuerent. Quis vero iam eo delabatur, ut *tum* in substantiae, quam sibi *Spinoza* fingit, attributis, *tum* in eorum consecutionibus et emanationibus, *Praestabilitio* cuidam locum facere possit? Quae enim ex necessitate naturae diuinae fiunt, omnemque contingentiam excludunt, praestabilitioe opus non habent.

§. XII.

Quae cum ita sint, frustra quaeritur: quare *Leibnitius* fontis, ex quo sua hausserit, nullam prorsus fecerit mentionem? facere profecto non potuit, cum ipsemet primus ea invenerit. Nec minus intelligitur, non licere suspicari, *Leibnitium* propterea opinionis suae auctorem, *Spinozam*, dissimulasse, quod iste apud omnes pessime audiisset. Cuncta haec sua sponte ruunt, simul ac in propatulo est, utriusque asserta magis a se invicem distare, quam a sole terra. Et sane si quidquam affinitatis inter utriusque sententiam existeret; qui concipi potest, eam nec *Baelio*, infinitae propemodum lectionis viro, in *Spinozae* scriptis multum versato, et praeterea Harmoniae praestabilitae

bilitate impugnatori acutissimo; nec aliis, historiae philosophicae admodum gnaris, iisque doctissimis aduersariis, quales e. c. Trivultini erant, qui viuentis *Leibnitio* Harmoniam praest. multis argumentis destructum ibant, obuersatam fuisse? Desinamus itaque plagii cuiusdam, in surrepta *Spinozae* harmonia commissi, *Leibnitium* insimulare!

§. XIII.

Vt vero firmiter statuendum sit, Harmoniam praestabilitam ab ipso *Leibnitio* excogitatam fuisse; inde tamen nondum sequitur, ipsum rem acu tetigisse, totumque commercii, inter animam et corpus obuui, negotium ita expediuisse, ut nihil amplius desiderari queat. Nostrum itaque est, ut, quod *tertium* nostrae tractationis caput constituit, *de vero pretio, harmoniae praestabilitae statuendo*, dispiciamus. Hic vero sedulo cauebimus, ne, affectuum impetu abrepti, vel quod parum, vel quod nimis est, faciamus. Profitemur itaque I) in *Leibnitii* explicandi modo nihil inueniri, quod contradictionem inuoluat, aut, ut nostri loqui amant, intrinsecam possibilitatem tollat. Probe quidem nouimus, aliis aliter visum, et *Baelium* inprimis in eo totum fuisse, ut Harmoniam praest. impossibilem esse euinceret. Sed vero viri scripta qui legit, haud difficulter perspiciet, illum opus plane *admirabile* cum *impossibili* confudisse. Harmoniam praest. minime omnium comprehendere posse prorsus, largimur; contradictione laborare, negamus. Quilibet enim, qui infinitum Dei intellectum, sapientiam summam, qua conspicuus est, atque potentiam, nullis limitibus circumscriptam, aequa animi lance perpendit, is de eo, quod Deus eiusmodi harmoniam condere potuerit, facile certus evadere potest. Concedimus II) hoc systema se a probabilitate quam maxime commendare, tum quod pleraque incommoda, quibus reliqua systemata premuntur, feliciter euitet; tum quod ad summi Numinis existentiam agnoscendam manu quasi ducat, et praeterea eiusdem attributa, vastissimum intellectum, stupendam sapientiam, summam potentiam, voluntatisque libertatem mirifice extollat; quod ipse

ipse iam *Baelius* de sapientia inprimis ingenue professus est; tum denique quod longe plurima phaenomena, in animabus et corporibus obvia, ex eo facili negotio explicari queant. Defendimus III) eo admissio, nunquam, vti plures vane opinati sunt, absolutam quandam necessitatem introduci, et vel libertatem Dei vel hominum eueri. Atque haec quidem hic indicasse sufficiat, cum singulorum demonstrationes alibi iam legantur.

§. XIV.

Interim tamen IV) et illud libere affirmamus, quod, quantum nobis quidem constar, nemo hucusque veri nominis demonstrationem pro Harmonia praestabilita condiderit, quamvis lubenter concedamus, multa satis praeclare ad commendandam et defendendam eandem scripta a praestantissimis nostri aevi philosophis esse. Sequimur hic viros perspicacissimos, *Wolffium*, *Bulfingerum*, *Reinbeckium*, et alios, quibus H. P. nunquam non *hypotesis philosophica* audit; eoque ipso innuunt, sibi nondum innotuisse principia, extra dubitationem posita, ex quibus legitima ratione concludi posset, Harmoniam praestabilitam genuinum continere, commercium inter animam et corpus, explicandi modum. Non quidem ignoramus, fuisse viros doctissimos, qui disiunctiva argumentatione negotium hoc confici posse putarunt. Aut enim, *inquiunt*, in animae et corporis commercio utraque pars propria vi suas efficit mutationes; aut aliena: si prius; tunc harmonia praestabilita locum obtinet, ubi anima ex sua ipsius virtute sensationes, et corpus ex mechanismo suo motus voluntarios producit. Si vero posterius affirmetur: tum mutationes harmonicae vel rationem in ipsis substantiis finitis, realiter in se influentibus; vel in infinita, realiter in commercio agente, substantia, habebunt. *Illud* parit influxum physicum; *hoc* vero Cartesianorum occasionalismum gignit. Iam vero Harmoniae praestabilitae fautores subsumunt, utramque sententiam posteriorem falsam esse; indeque ad suae sententiae veritatem concludunt. Demus tantisper ita argumentantibus, neque influxum

physicum, neque occasionalismum valere: tum tamen tota haec illatio solummodo procedet, si prius euiceris, commercium inter animam et corpus *simplici quodam systemate* explicari debere; cum e contrario omnem suam vim amittat, si illud, adhibito quodam *systemate composito*, expediendum fuerit. Atque illud eo magis amplectendum esse videtur, quo magis patet, animam et corpus esse entia diversissimarum naturarum, quae in vnione haud commode vno eodemque modo tractari queunt. Praemittere igitur debebant H. P. defensores aliam disiunctiuam argumentationem, quae ita se habet: ad explicandum animae corporisque commercium vel recurrentum est ad systema simplex, vel ad compositum; et tunc mascule demonstrandum erat, non admitti posse systema compositum, sed vnice subsistendum esse in simplici. Quodsi prius praestitissent; secure descendere poterant ad illam, qua ipsimet vtantur, ratiocinationem, vt victoriam reportarent. Caeterum quo nostra distinctio inter composita et simplicia systemata, tendat, ex sequentibus magis patebit.

§. XV.

Eo minus vero V) Harmonia praestabilita pro genuino systemate venditari potest, quo propius ad verisimilitudinem accedit, ca-
stante, Deum quodammodo in communionem vitiosarum actionum, corporis motibus voluntariis perpetratarum, pertrahi. Docent enim Harmoniae praestabilitae patroni, Deum corpoream hominis machinam ita construxisse, vt tot motus voluntarios edat, quot in anima oriuntur volitiones, ad actum deducendae, et ita quidem, vt hae cum illis nunquam non coexistant, illique nec citius nec serius veniant. Patet ex his, a Deo, machinae artificee, repetendum esse, quod hi motus, nec alii, hoc tempore, non alio in corpore prodeant. Supposita nimirum illa machinae constructione, motus corporis omnes iam determinati et necessarii sunt, ita vt ne vnus quidem omitti queat. Quales ergo sunt volitiones, tales quoque sunt motus voluntarii. Sicuti illae, ad leges quippe referendae, moralitati sub-
iacent,

iacent, indeque vel moraliter bonae, vel malae dicuntur; ita neque hi moralitate destituuntur, sed vel moraliter boni, vel mali sunt. Fiunt enim nonnisi propter volitiones, quas morales esse nemo sanus dubitat. Inest quidem motibus corporis voluntariis physicum quid, in quantum scilicet motus corporis sunt; sed inest simul iis morale aliquid, in quantum volitionibus respondent, et propter volitiones existunt: sicuti in ipsis animae volitionibus partim physicum occurrit, quatenus volendi facultas exeritur, partim morale quid observatur, quatenus ad legem referuntur. Habent itaque motus voluntarii, secundum *Leibnitium*, et physicum et morale solitarie a Deo, corporis architecto, quodque hi vel boni vel mali sint, soli Deotribuendum est. Etenim corpus ex mechanismo ipsi indito motus voluntarios iusto ordine et determinato tempore euoluit; mechanismum vero ipse Deus, infallibiliter animae volitiones praevidens, liberrime praestabiliuit ab aeterno, et potentissime in tempore effecit. Quae cum ita sint, a Deo derivandum esse, si pravae animae volitiones externe a corpore perficiuntur, aliis scandalo sunt, et damna inferunt, quilibet facile intelligit. Sumamus e. c. hominem, qui blasphemias aduersus Deum eructare, alios conuitiis obruere, vulneribus afficere, e medio tollere, suis facultatibus priuare, aut alia atrocissima crimina committere decreuit; tum ad ductum Harmoniae praestabilitae haec omnia nunquam effectui darentur, nisi mechanica corporis structura eiusmodi motus iam in se contineret, quibus pessimis satisfieri debuit volitionibus. Vtrum vero haec cum summi Numinis sanctitate conciliari, ipsumque ab omni vitio prorsus immune sistere queant, aequi lectores iudicent.

§. XVI.

Vidit haec b. *Reinbeckius* In der Eroerterung der Philosophischen Meinung von der H. P. §. 32. sqq. pag. 46. sqq. animoque, a partium studio prorsus alieno, fortiter contra Harmoniam praestabilitam urfit. Quinimmo praecidit Ill. *Wolffius* hanc ipsam difficultatem, eamque

remouere studuit in *Psycholog. ration. lat.* Sect. 3. C. 4. §. 636, cui se, euulgato *Reinbeckii* scripto, adiunxit *Anonymus* quidam doctissimus, cuius libellus in *Celeb. Ludouici P. II. der Sammlungen und Auszuge* etc. pag. 126 *sqq.* exstat. Sed, quantum iudicare valemus, successu, non adeo felici; quod statim parebit, si ea examini subiecerimus quae ultimo loco commemoratus vir doctus, iuxta mentem *Wolffii*, copiosius, ad abstergendam hanc ab Harmonia Praestabilita maculam, in medium protulit. Primo itaque docet, *malis Deum non delectari; sed proficisci ea a voluntate Dei permittente.* Fatemur, permittere omnino ea Deum, neque velle peccata cum prolubio. Numquid vero Deus peccata tantum permittere dicendus est, si ipsemet corpoream exstruit machinam, ea omnia necessario efficientem, quae aegerrime permittit? Hic sane non est mera permissio, quae nonnisi in omissa impeditioe actionis alicuius, sine qua haec facta non fuisset, consistit; sed cooperatio, ut permissum necessario proueniat. Deinde se recipit ad *concursum generalem, arbitratus, Dei partes in actionibus moraliter malis unice in communicatione et conseruatione virium, ad agendum requisitarum, sitas esse; quale quid ab influxus physici fautoribus aequè admitteretur.* Sed doctissimus *Anonymus* fallitur: aliud enim est, Deum res creatas in existendo conseruare, iisque vires necessarias sufficere, ut ipsae possint pro lubitu agere; aliud vero est, vires subministratas simul ita adplicuisse et determinasse, ut hoc, non alio loco, hoc, non alio tempore, sub his, non aliis circumstantiis, haec, non aliae actiones, circa hoc, non aliud obiectum, cum his, non aliis consecrariis producantur. Cumque haec vera harmoniae praestabilitae mens sit, quam ipse *Wolffius* l. c. §. 617. 618. 624. 633. prae se fert: oppido claret, nec conseruatione, nec concurfu Dei generali, praesens negotium confici, sed specialiori determinationi, partim ut sint, partim ut tales sint motus corporei, locum relinqui. Paucis rem expediamus, secundum harmoniam praestabilitam Deus est auctor seu artifex motuum voluntariorum in corporibus, cum animabus coniunctis, tum moraliter bonorum, tum malorum.

malorum. Quum vero cuilibet actionum auctori actiones iure imputandae sint: sequitur, ut etiam Deo motus voluntarii corporis imputari debeant; Deo scilicet tribuimus, si volitiones vel bonae vel malae externe per corpus perficiuntur. Concipiamus, ut simili quodam utamur, artificem, automaton ita elaborantem, ut in quemvis obuium conuitia spargat, aut ipsum leuiter attingenti alapas impingat: tum nemo ambiget, artificis haec imputanda, eumque in causa esse, quod aliis aegre factum fuerit.

§. XVII.

Cum itaque nullum hucusque systema simplex repertum sit, quod animae et corporis commercium absque magnis difficultatibus explicare possit; minime illos vituperandos esse censemus, qui hoc negotium adhuc in obscuro iacere, in lucem nondum protrahatum esse, modumque commercii omnino non liquere statuunt. Neque hoc adeo mirum videri debet, quia plura in anima occurrunt, quae inter naturae arcana referri merentur. Qua de re legendus est *Hollmannus, de stupendo naturae mysterio, anima sibi ipsi ignota*. Nisi vero hoc *επεχεν* placuerit, quod nonnulli *ignorantiae systema* vocare consueverunt; superest, ut de systemate quodam composito cogitemus. In medium itaque eiusmodi proferemus, quod nisi ab omnibus, a pluribus tamen, difficultatibus liberari poterit. Vbi ingenue simul profiteamur, inuentionis gloriam ad nos non pertinere, sed *Tournemini* potius inuentum esse. Vidimus enim in *Balsingeri* commentat. hypothet. de H. P. pag. 16. illum virum fatecelebrem iam ante nos in eandem sententiam incidisse, eandemque viam iam olim calcasse. Interim tamen, quantum fieri potest, eo allaborabimus, ut tum indolem huius inventi curate describamus, tum quae ad eius confirmationem pertinent, studiose edisseramus.

Systema *simplex* est, quod ortum sensationum in anima, et motuum voluntariorum in corpore, vno eodemque modo explicat; cuiusmodi sunt tria ista, quae in superioribus delineauimus: *compositum*
vero

vero vocatur, quod diuersa ratione, alia in sensationibus, alia in motibus voluntariis explicandis vtitur. Inter composita illud prae aliis nobis arridet, quod sensationum existentiam iuxta mentem *Leibnitii* eruit, motus vero voluntarios iuxta *Influxionistarum* sententiam oriri statuit. Facimus igitur, si animae sensationes spectes, cum *Harmonistis*, certo persuasi, eas a corpore proficisci non posse; sed animae vi, prout corporis mutationes requirunt, produci. Quod vero ad motus voluntarios attinet, in illis deriuandis partes *Influxionistarum* sequimur, opinati, quod animae, efficaciter volenti, virtus quaedam, in spiritus animales cerebri agendi, primumque motus initium, idque longe subtilissimum, efficiendi competat; qui deinde, in exteriores corporis partes propagatus, sensim sensimque fortior evadit.

§. XVIII.

Haec sententiae nostrae summa est; quam, ne peruersis interpretationibus oneretur, paullo plenius enarrabimus. Absit igitur longissime, ut animabus, praeter unicam vim representativam, adhuc aliam vim, a priori plane diuersam, tribuamus, qui quippe pro certo assumimus, animae, seu enti simplici, nonnisi unicam vim adferibi posse. Arbitramur vero, quod ex ista unica vi animae repraesentatiua primum, idque nobis prorsus inobservabile, motus initium, in cerebro productum, deriuandum sit. Sicuti scilicet ex unica vi repraesentatiua facultates appetendi et auersandi generari queunt; ita nobis ea quoque sedet sententia, quod ex eadem facultas spiritus animales in cerebro determinandi, ut hi influant in externa corporis membra, ad perficiendos motus voluntarios, promanare queat. Nihil commune habemus cum illis, qui actionem hanc animae in corpus per contactum fieri defendunt, utpote qui animae simplicitati apertissime repugnat; sed potius illam ipsam actionem nonnisi pro effectu illius vis habemus. Hic vero statim confiteamur, necesse est, nos non posse in plena luce hanc animae in corpus actionem collocare; interim tamen non putamus, ex eo valide concludi ad rei ipsius negatio-

gatio-

gationem. Plura enim sunt in doctrina de motu obscura, quin immo prorsus ignota; attamen per experientiam explorata et certissima. Quisnam, ut vno alteroue exemplo illustrationis causa utamur, distincte explicare potest, quomodo corpus, ex simplicibus constans, quae motu per se carent, moueri, aliaque corpora mouere, possit? Quis item hucusque satis luculenter exposuit, qui fiat, ut motus, quibusdam tantum corporis partibus impressus, illico degeneret in motum omnium partium totius corporis? Porro, quod propius huc pertinet, insunt ipsi harmoniae praestabilitae nonnulla, quae ad distinctam cognitionem euehere nequeunt eius patroni. Ita enim nemo eorum dilucide ostendere potuit, quomodo a subtilissimo fibrillarum in cerebro motu, vix cum halitu oris comparando, extemplo tot vehementes in externis corporis membris motus, qui spectatores saepe in admirationem et stuporem rapiunt, proficisci possint. Dictis fidem conciliaturi, prouocamus ad operas manuarum, multo cum labore et sudore, tractantes; item ad illos, qui saltu equos conscendunt; item ad irae feruore correptos; et alios huius generis, qui motus maxime violentos ad imperata animae exequentur. Et quem fugit, ipsum *Wolffium* l. c. §. 617 Schol. agnouisse, *mechanismum cerebri nobis ignotum, nec facile detegendum esse?* Immo idem *Philosophus* §. 637. fuse demonstrat, in *systemate harmoniae praestabilitae mechanismum corporis nobis esse incomprehensibilem*. Numquid ergo nobis vitio verti poterit, si modum plenissime enucleare non valemus, quo ex animae vi omnium prima motus initia in fibrillis cerebri proueniant? Si quidem de ipsius animae natura et subtilissimo cerebri artificio plura nobis innotuissent, quam hucusque de illa metaphysici, et de hoc anatomici et physici suppeditarunt; tum haud dubitamus, quin modum operandi animae multum distinctius et profundius simus perspecturi. At enim vero prouti nunc res se habent, pauca scimus, multa obscurius et incertius cognoscimus, longe plurima ignoramus.

§. XIX.

Interim tamen non omni desistimus, qua nostram sententiam suffulciamus, probatione. Et primo quidem Harmonistis, qui monadologiam *Leibnitianam* simul amplectuntur, nos facile satisfacturos esse confidimus, si ex ipsorummet placitis dispuemus. Quum enim hi elementis suis singulis, ex quibus corpora constata sunt, vim quandam repraesentatiuam obscurissimam tribuant; elementa autem rationem sufficientem eorum, quae in corporibus apparent, contineant, inter quae motus, tum internus tum externus, referri meretur: tum consequens est, ut hi viri, tum ipsam vim motricem, tum eius modificationes, intrinsecas et extrinsecas, ex hac vi repraesentatiua obscurissima deriuare debeant. Quod si haec vera sint, et praeterea demonstrari queant, quod *Leibnitius*, *Wolffio* referente in *Metaph. germ.* P. 2. §. 215. praese tulit: tum non videmus, qui iidem H. P. assertores insitiari sustineant, ex animarum, maxime humanarum, vi repraesentatiua, eaque distincta, facultatem motum subtilissimum in cerebro excitandi, deriuari posse.

§. XX.

Progredimur ad aliud argumentum, aequè ex interioribus Philosophiae *Leibnitio-Wolffianae* peritum, quo nostrum systema non minus confirmari posse speramus. Conceptum Dei, entis simplicis, essentialem ponunt, qui *Wolffianam* Philosophiam amant, in vi repraesentatiua distinctissima et simultanea omnium possibilem; atque ex ea ipsa vi omnia, quae de Deo vere valent, legitima ratione deduci posse arbitrantur. Quum vero iidem Deo opera creationis, conseruationis, concursus, et gubernationis quam rectissime tribuant, quae minime omnium sine actione in corpora materialia sibi constare queunt: consequitur, ut hi viri simul statuunt, opera commemorata, et hinc actiones in entia materialia, ex vi Dei repraesentatiua commode deduci posse. Quibus in nostram vtilitatem versis, argumentamur: si actio in corpora materialia ex vi repraesentatiua Dei conceptibilis

ceptibilis est; animae autem humanae non minus vis repraesentatiua competit: sequitur, ut ex ea etiam actio in cerebrum materiale concipi possit. A. E. Forte negas consequentiam, opinatus, quod a Deo ad animas non valeat consequentia. Deus, *inquis*, agit per vim infinitam in corpora, cuiusmodi quid in vim animae finitam non cadit. Sed vero parum nos moues. Aut enim potentia movendi res corporeas repugnat vi repraesentatiuae, in qua essentia entium simplicium consistit; aut non. Si prius; nec Deus in corpora agere potuit: si posterius; tum illa potentia etiam in creatis animabus locum habere potest. Deus scilicet per vim infinitam entibus mere possibilibus, seu in ideis suis contentis, existentiam impertire valet, quando voluerit, indeque multo magis sufficit ad modificandas pro arbitrio creaturas, iam existentes, in quas agere potest. Iam quidem animae, vi finita praeditae, deest potentia ex nihilo aliquid producendi, seu creatrix; neque potestatem habet in corpora pro lubitu mero operandi; ex eo tamen non sequitur, eam nec in corpus iam existens, per vim sibi semel concessam, secundum leges sibi praescriptas, agere posse. Suppetunt alia, quae ad ulteriorem confirmationem faciunt. Illustri *Wolffius* in Psycholog. Ration. lat. §. 480-486 docet, animae, propter vim sibi inditam, perpetuum conatum mutandi perceptiones competere, eamque sibi consciam esse, actionem sensibilibus in organa sensoria a situ corporis pendere, atque hinc, si perceptiones mutare intendat, situs quoque corporis mutationem intendere. Quae si loco fundamenti subtraheris: videtur haud temere concludi posse ad actionem animae in corpus. Anima scilicet, iuxta mentem *Wolffii*, habet vim repraesentatiuam vniuersi pro situ et conditione corporis; ex hac vi sequitur, ut anima percipere, aliisque facultatis cognoscentiae operationibus defungi queat. Quia vero vis perpetuus est ad agendum conatus: hinc anima pergit ab una perceptione ad alteram; et, quia fieri hoc non potest sine situs corporis mutatione, continuo etiam tendit ad eam. Si igitur anima habet vim siue conatum, situm corporis mutandi; posita autem vi, seu

conatu, ponatur, nisi occurrat impedimentum, actio, in illa vi seu conatu fundata: tum obvium est, quod haec corporis mutatio a vi animae proficisci, atque anima causa efficiens mutari situs esse debeat. Quumque hoc sine actione animae in corpus fieri non possit: patet, animam in corpus agere.

§. XXI.

His addimus, quod idem vir *Illustris* plus simplici vice et dixerit et scripserit, se nunquam negasse, *spiritum ut spiritum agere posse in corpora*. Praeterquam quod hanc propositionem attulit in *commentario de scriptis* suis, eandem etiam in *Psycholog. rat.* §. 509. in textu pariter ac in scholio vberius demonstravit. Concedit itaque Vir veri amantissimus possibilitatem, quam vocat, *intrinsecam* actionis physicae spirituum in corpora; negat *extrinsecam*, in hoc mundo obuiam, nixus naturae lege, de eadem virium viuarum conseruanda quantitate, quam violari putat, admissa operatione animae physica in proprium corpus. Accipe verba Viri egregii, in summam contracta, quae leguntur *Psychol. Rat.* §. 577 *seqq.* *si anima physice influit in corpus; vis quaedam animae in corpus transit, et in eo in motricem abit, — quae nulli antea materiae inhaerebat, adeoque, motu nouo producto in mundo materiali absque corporum conflictu, vis motrix producitur in materia, quae in eandem ex materia alia non fuit derivata, sed ab anima demum producta.* Quae cum scripsisset, subdit §. 578. iam in aprico esse, *posito influxu animae in corpus, in toto vniuerso non semper conseruari eandem virium viuarum quantitatem.* Atque inde infert §. 579. *eiusmodi influxum physicum ordini naturae, qui quippe secundum leges motus dirigitur, esse aduersum: quae cuncta vt plenius intelligantur, consulenda est ipsius Cosmologia §. 476-487.* Veneramur merito dignissimam illam legem, quae aduersus nostram sententiam allegatur; interim non deest nobis, quod respondeamus. Si nimirum Mathematicorum et Physicorum demonstrationem, qua hanc legem stabilire conati sunt inde a *Cartesii* temporibus, propius contueris; deprehendes,

des, eam vnice pertinere ad *mutuum corporum consuetudinem*, vbi omnino ex motu motus profluit, indeque nec vis motrix noua producitur, neque, quae adest in mundo, perit. Quum vero in praesenti sermo nobis non sit de actione corporis in corpus; sed animae potius in corpus: μεταβασις εἰς ἄλλο γένος committi, legemque iusto liberalius extendi, apparet. Intellexit equidem perspicacissimus *Wolffius*, haec magna cum specie opponi posse; ideoque *Psych. Rat.* §. 588. monet: *probabile non esse, Deum, auctorem rerum sapientissimum, ita constituisse naturae ordinem, ut in gratiam animae continuo sit turbandus*: At enim vero liceat nobis retorquendo quasi respondere, probabilitate destitui, Deum, auctorem rerum sapientissimum, ita constituisse naturae ordinem, ut entia essentis et naturis diuersissima, vno eodemque modo tractari debeant. Verbo: Quousque nondum demonstratum fuerit, hanc legem aequè ad animarum in corpora, ac corporum in corpora, actiones extendendam esse, atque vniuersam naturam, seu mundum spirituales et corporeum, vno eodemque modo, per leges easdem determinari; eousque non putamus, nos causa nostra casuros esse, quidquid tandem difficultatis remanserit. Conferri hic potest *Gravesande in der Einleitung in die Weltweisheit. P. II. Cap. 18.*

§. XXII.

De cetero cum hypothesès philosophicae merito cum indubiis experienciis conferri, et secundum eas examinari debeant; lectoribus nostris diiudicandum relinquimus, vtrum, si in scriptura sacra, cuius fides non vacillat, hic illic narratur, spiritus bonos, adsumtis corporibus, quae vocantur, parastaticis, se ad tempus visibiles reddidisse, malos vero varia corpora hominum et brutorum corripuisse, perque ea egisse, vtrum, inquam, credibilis sit, haec facta esse iuxta systema H. P. an vero iuxta operationem illorum spirituum physicam in corpora, qualem supra descripsimus? Speramus, fore, ut plures, nisi apparitiones illas in meros phantasiae foetus, et corporum obsessiones atque impulsus in meram maniam et morbos acutos conuertere voluerint,

rint, nobiscum consensuri sint. Verum enim vero haec vel monuisse, sat est.

§. XXIII.

Indicauimus hucusque nostram sententiam, et, quantum fieri potuit, probare studeimus; neque difficultates, quibus laborat, reticimus, ita tamen, ut eas, nisi omnino tolli possent, saltem minueremus. Nullum omnino hucusque prolatum est systema, quod a grauioribus incommodis immune sit; eumque omnium rectissime agere censemus, qui iudicium suum in re tam ardua suspendit, suamque ignorantiam profitetur. Interim illud defendere audemus, quod, si omnino aliquid asserendum fuerit, ad modum commercii inter animam et corpus interpretandum, nostra cogitata, si cum aliis comparentur, minoribus difficultatibus obnoxia sint, et haud vulgaria consectaria secum ferant. Ponamus enim, animam causam esse efficientem motuum corporis voluntariorum; tunc I) animae, non solum *regimen morale*, quod Harmonistae solum agnoscerent; sed etiam *physicum* in corpus suum competit. Eaque de causa, II) anima multum praestantior apparet, quam in H. P. Siquidem ex mente nostra non solum causa efficiens sensationum, ceterarumque mutationum, in se ipsa obuiarum, verum etiam motuum, volitionibus respondentium in corpore, iure dicitur. Vnde porro consequitur ut III) omnes actiones, moraliter bonae et malae, qua animam conceptae et decretae, et qua corpus in actum deductae, soli animae, tanquam causae efficienti immediatae, iustissime imputari debeant. Quae cum ita sint, denique IV) inferimus, Deum, si anima prauas volitiones conceperit, easque corpus exsequatur, ut aliis noceant, aut scandalo fiant, omni ex omni parte culpa vacare, et solam animam incusandam et puniendam esse.

Quae porismata num alicuius ponderis sint, ipsi lectores nostri arbitrentur.

T A N T U M

PRAE-

PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE

HONORVM PHILOSOPHICORVM

C A N D I D A T O
PRAESES.

Ego quidem, PRAESTANTISSIME CANDIDATE, postquam mihi felix ingenium, diligentiam litteris impensam, et bonos mores per integrum triennium satis adprobasti, non sine voluptate intueor, quod ante abitum, quem meditaris, Patronis et Patriae publico profectuum adquiretorum documento innotescere constitueris. Sustinuisti eum in finem cum laude examen Philosophicum, et nunc prodis, ut libellum disputatorium, in quo conscribendo TVAS ipsius vires expertus es, aduersus VIRORVM DOCTISSIMORVM obiectiones defendas. Perplacet mihi, quod summorum Virorum placita, siue anti-
qua

qua siue noua, non coeco quodam impetu amplexus, sed potius, post seueriorem meditationem, ea secutus fueris, quae TIBI veriora esse videbantur. Quod studium TVVM, si vel maxime hic tibi a ianua aberraueris, non potest non gratum esse illis ipsis quoque, a quibus sententiarum fecisti divorcium. Mibi iam superest, ut TIBI, VIR DOCTISSIME, curriculum academicum, doctos conatus, et supremos in Philosophia honores, quibus a me propediem ornaberis, ex animo gratuler, Deum precatus, velit TE saluum atque incolumem ad patrios lares reducere, et coeptis TVIS cunctis fauere, ut, comparatis in veritate pariter atque in virtute incrementis indies maioribus, de aliorum commodis in posterum optime mereri queas. Sic vale et me ama! Dabam in Fridericiana d. XVIII. April. MDCCLXVIII.



PRAE-

PRAENOBILISSIMO DISSERTATIONIS
A V C T O R I
AMICO SVO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

CHRIST. GOTTLOB STEPHAN

VRAT. SIL. OPP.

Quo iucundius mihi, AMICE PRAESTANTISSIME, *semper*
illud tempus fuit, quo mihi amore mutuo et consuetu-
dine contubernali uti licuit; eo exoptatior mihi est illa dies,
qua TIBI TVISque studiis applaudendi nactus sum occasio-
nem. Plura de TVA mente erga me ingenua, nec non de
eximiis animi virtutibus laude digna dicere possem, nisi sum-
mam TVAM, qua polles, modestiam offenderem. Mei omni-
no est, ut TIBI pro benevole in me collata Opponentis
E prouin-

provincia maximas, quas possum, agam gratias. Inter alio-
rum TVAE diligentide applausus accipe etiam hos, qui ex
animo amici TVI cordatissimi proficiscuntur, cuiusque vota
sint integerrima et verissima. De summis in Philosophia
magna cum laude obtinendis honoribus TIBI ex animo gra-
tulator, ipseque maximopere laetor. DEVS T. O. M. qui TVIS
studiis laudabiliter susceptis semper suo numine adfuit, et inpo-
terum TVAS operas felicissimis coronet successibus! Scruet
TE NVMEN illud benignissimum in summorum Patronorum
TVORVM Parentisque TVI dilectissimi optimi, Pa-
triae nostrae emolumentum, mibique AMICVM ex paucis
optimum. Sic vale meque commendatissimum habe. Dabam
in Fridericiana, die XVIII Aprilis, c1o1occlxviii.



AVCTO.

AVCTORI AC RESPONDENTI

DOCTISSIMO,

AMICO SVO

EX PAUCIS DILECTISSIMO AC AESTVMATISSIMO

S. P. D.

IOH. SAM. TRAVG. BVRCHARDI

HIRSCHBERGA-SILES, OPPONENS.

Quam iam diu hucusque de occasione quadam digna ac opportuna cogitauerim, qua mentem meam TIBI semper amicissimam declarare possem, nihil exoptatius nihilque opportunius mihi euenire potuit, quam quidem ea, qua Dissidentis vices beniuole in me contulisti. Nescio propterea, qua ratione TIBI satis gratias referre possim, cum TIBI visum sit, me tot tantoque afficere honore, simulque quod mihi ostenderis nouam viam, qua animi mei obseruantiam ac fidum amorem publice TIBI demonstrare possem. Huc prae-

E 2

tereas

terea accedit, quod honoribus philosophicis, praemio quasi, eruditionis TVAE solidae, ac indefessae in litterarum studiis diligentiae exorneris. Gratulor propterea specimen, quod doctissime edidisti, gratulor dignitatem MAGISTRI, qua mox publice eris ornandus; gratulor denique et mihi, quem semper amicitia TVA, qua nihil unquam dulcius fuerit, affecisti. At enim vero, non solum spero, sed et confido, fore ut etiam absens amicitiam TVAM, in me collocare, baud dedigneris. Faxit interim Deus T. O. M. ut ad patriae nostrae splendidissimae utilitatem ac ecclesiae commodum diu longeque superfis. Sic enim Vale, et, quod facis, me ama. Dab. in Reg. Frider. XIV. Calend. Mai. A. R. S. c1768.

